

III. &amp;

XX.

137. Quām frivolum enim sit commentum, Sy-  
nodi Tridentinæ de Forma justiciæ, quæ in quali-  
tate infusa, & habitu charitatis inhærente consi-  
stat, supra fuit ostensum.

138. Habet autem hæc forma justificationis ad-  
versus inhabitantis peccati luem, & quotidiana,  
etiam sanctissimorum quorumvis delicta, firmissi-  
mam consolationis materiam: quia nondum in-  
hærens nec infusa, sed imputata duntaxat esse ju-  
stitia nostra, qua DEO placeamus, dicitur.

139. Finalis causa justificationis nostræ, re-  
spectu DEI, teste scriptura, est ἐν δειξις δικαι-  
οσύνης οὐχὶ ἐλέες αὐτῶν, ostensio justitiae & mise-  
ricordiæ ipsius.

140. Elucet enim admirabile planè & stupen-  
dum in opere justificationis nostræ, justitiae & mi-  
sericordiæ divinæ temperamentum: Iustitiae qui-  
dem, quod peccata remitti, fuit impossibile, nisi ex-  
oluta pæna: Misericordiæ vero, quod cum nemo  
vel angelorum vel hominum, pæna illi sufferenda  
par esse posset, nostræ miseria Deus pater misertus,  
Filium suum unigenitum nostras vices supplere  
voluit.

141. Respectu nostri finis nostræ justificatio-  
nis est, ut simus Sancti & irreprehensibiles coram  
illo: & justificati in sanguine Christi salve-  
mur ab ira per ipsum. Eph. 1, 4.

Rom. 5, 9.

DIS-

Finalis  
causa.